Clarissimo VIRo
Theophilo Siegfrido Bayero
S. P. D.
Matthias Belius.

Nisi mihi de Tua constaret humanitate, uterer apud Te excusatione, quod molestus Tibi audeam epistola. Nunc, ea me penitus abstineo, certa spe fretus, fore, ut destinationem meam, pro virili adiuves. Non Te latet conatuum meorum ratio, eo vergentium, ut rerum patriae tenebras, quibus sunt obsitae, si discutere haud liceat, saltem mitigare possim. Quo equidem fine ut potirer, nullis hucusque seu laboribus peperci, seu sumtibus. Hoc dum ago nuntiatur mihi, apud Dantiscanos latere adhuc in Ms^{tis}. Opitii Daciam Antiquam. Et habeo omnino Georgii Preütten JCti. Jesuancusis literas, quas ille A°. 1642 10. Januarii ad Andream Sanftleben, advocatum Wratislaviensem scripsit, quibusque

444. 1. v

testatus est, MSCtum illud, iusto pretio, in suam venisse potestatem: daturum se operam, ut id ad posteros transmissum, lucem aliquando publicam queat adspicere. Proinde, peto ab. Tu. quam possum, vehementissime, ut me, pro Tua in meliores litteras voluntate, in eodem isto MSCto inquirendo adquirendoque, adjuves. id quod ista via, commodissime fieri posse existimarim; si ex Gedanensibus amicis didiceris: quis iste Georgius Preuten? qui sui hæredes fuerint? qui eius potissimis bibliotheca? et ubinam Dacra illa antiqua haereat? Atque hoc quidem eo promtius facere poteris, quo majore industria Borussi vestri, in rem litterariam illustrandam incumbeat. Epis. Tot. mihi argumento, vero fuisse consentanea, quæ mihi de Tua elegantia,

Goldbachius, utriusque nostrum amicus, sæpiuscule narravit. Iam Vale, et si id rogitare ausim, brevi responde. Petropoli MDCCXXV. XII. Cal. Dec.

446. 2v

Clarissimo Viro
Theophilo Siegfrido
Beyero &c.

Regiomon
apud Boruss